



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. Explicatur illud. Quinque Ecclesias, vel altaria visativerint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

13. Inquires Nono. Quando dicemus infra, in communi Bulla debere scribi nomen eius, qui illam sumit, eamque debere apud se retinere eo modo, quo ibidem explicabitur, id ne etiam est necessarium in hac parva Bulla? Respondetur, non esse simpliciter necessarium, docet Trullench. l. c. n. 8. quia id in hac Bulla, nec ab ipsa, nec ab eius Declaratore Commissario requiritur.

CLAVSULA. IX.

Item Prædicti Bullam sumentes, qui diebus Ieiunio non suppositis, ad implorandum Divinum Auxilium pro Unione & Victoria prædictis, voluntarium Ieiunium, vel si Ieiunare impediti legitime fuerint, aliud opus pium, arbitrio eorum Confessarii, vel Parochi, assumpserint, & simul pro Unione, & Victoria prædictis preces fuderint, toties id fecerint, dicto anno durante, quindecim annis, & totidem quadragenas de iniunctis eis, & quomodolibet debitis penitentis misericorditer in Domino relaxantur, & insuper omnium precum, elemosinarum, Peregrinationum, etiam Hierosolime, & aliorum honorum, quæ in universali militante Ecclesia, & singulis eius membris sunt participes reddantur.

CAPVT IX.

Tertium Privilegium de quibusdam indulgentiis & participatione bonorum operum.

Sub prædictis conditionibus duo hic conceduntur puta, indulgentiæ quædam peculiares, & participatio bonorum operum fidelium. Iam de Singulis.

§. I. Quenam indulgentia hic concedatur.

1. Solebant olim in Ecclesia (nam hodie in usu non sunt) imponi delinquentibus diversæ penitentia iuxta diversam culpæ gravitatem, ad arbitrium sacerdotis, v. g. Ieiunia, flagellationes, inclusiones in Monasteria, & simule ut habetur in multis Sacris Canonibus, qui ponuntur in fine decreti post tertiam eius partem; & illæ quidem, quæ imponebantur, ut duraturæ per Quadragesimam dies v. g. vocantur Quadragesimæ, seu Quarantena; quæ v. g. per septem dies appellabantur septemaginta, & sic de cæteris. Quando ergo ob Ecclesiæ benignitatem condonabatur alicui penitenti pœna ipsi iniuncta quæ aliàs durare, ut dictum est, debeat per quadragesimam v. g. dies, dicebatur ei relaxari una Quadragesima; quando autem octoginta dies, dicebatur ei relaxari duæ Quadragesimæ, ut etiam, sic per annum durare oportebat, vel per duos annos, dicebatur ei remitti unius vel duorum annorum Penitentia.

2. Hinc facile iam intelligis quid concedat Pontifex, dum in præsentis clausula dicit, accipienti Bullam, ac ieiunanti cum circumstantiis in ea designatis, relaxari quindecim annos, & totidem Quadragesimas de Penitentis ei iniunctis. Concedit enim ipsi remissionem debiti agendi penitentiarum per quindecim annos & totidem quadragesimas, seu Quarantenas dierum: quæ quidem Quarantena ascendunt (nisi in computatione fallor) ad dies ducentos, & nonaginta; si autem id explices tunc remitti de pœna Purgatorii, pœnam prædicti anni prædictorumque dierum, si tunc remitti de purgatorii pœna, quanta tibi remitteretur, si per illud tempus penitentiam in hac vita egisses, semper magnum erit beneficium. Vt autem ex his modis sit probabilior, vide apud Scholasticos, præsertim apud Suarez. de pœn. d. 5. o. 5. præsert. n. 5.

3. Scito autem, quando dicimus, per indulgentias remitti pœnam, nos intelligere, remitti in foro Dei; Falsa enim est illa opinio, quæ dicit, per indulgentias remitti solum penitentiam in Foro Ecclesiæ, lege Suarez. l. c.

sect. 2. n. 2. qui censet esse de fide, posse ab Ecclesia concessi indulgentiam, ut per eam extra Sacramentum Penitentia remittatur pœna apud Deum, cum Christus Dominus absolute dixerit, (quemcumque solveris super terram, erit solutus, & in cælis)

4. Quando autem dicimus in foro Dei, intelligimus solum remitti eas pœnas nostris peccatis debitas, quibus pœnis satisfacere debemus in foro conscientie, quæ si tu a tuo Prelato confiteris ad aliquam penam temporalem, ut sis v. g. suspensus per annum, sive temporalem, ab his pœnis non liberant te huiusmodi indulgentiæ. Idem dic de penitentis, quas sumimus Penitentia vel penitentia tibi imponit, quando aliquid dispensat, per has enim penitentias à Pontifice, vel Prelato impostas, non satisfacimus immediate Deo ob nostras culpas, quarum satisfactiones respicit, ut diximus, indulgentia, sed immediate Ecclesiæ.

5. His cognitis, Inquires Primo, quando Pontifex in nostra Bulla Cruciatæ dicit, ieiunanti remitti debitas pœnas, & quadragesimas de iniunctis penitentis intelligi ne, remitti solum de iniunctis, seu impositis, an etiam de cæteris quomodocumque debitis ab ipso ieiunante.

Respondetur. Licet doctores, ut videtur ex apud Delugo. d. 27. de pœn. sect. 2. discrepent quando Pontifex limitat dicit, (de penitentis iniunctis) Aliqui enim d. cum comprehendunt iniunctas, cum alio modo debitis ut tenet Suarez. l. c. sect. 3. Aliqui vero solum iniunctas, ut tenet Delugo l. c. n. 11. tamen in nostra Bulla, non discrepent, seu certe discrepare non possunt, certum enim est remitti de utriusque, quia sic clare conceditur in Bullæ nostre tenore ibi. (De iniunctis, & quomodolibet debitis Penitentis).

6. Inquires Secundo, An possit indulgentia huius clausulæ multoties acquiri, si multoties fiat quæ in illa imponuntur?

Respondetur, posse; siquidem hoc manifeste significat illud (toties, quoties.)

Inquires Tertio. An per obtentam, vel obtinendam Indulgentiam possit Confessarius nullam Penitentiam imponere penitenti vel penitens impostam omittere, si indulgentia fuit plenaria, vel illam diminuire ad proportionem indulgentiæ, si ea partialis fuit, qualis est hæc quam in præsentis clausula explicabimus. An, inquam, possit ob illam rationem, quod iam per indulgentiam penitens satisfacit pœnæ, sibi debita, propter quam solam satisfactionem imponitur penitentia vindicatur, de qua solum hic loquutio esse potest, nam verum Medicinalem semper esse necessarium exhibendam, pœcā penitente omitti posse, iam scimus.

Respondetur, non posse omitti, semper esse exhibendam docet Suarez. t. 4. in 3. p. d. 38. §. 10. n. 10. Sed possit, concedit propter rationem iam dictam, aliasque, Delugo de pœn. d. 27. n. 22. addens esse sententiam communem doctorum.

Ego quamvis videam, hanc communem sententiam esse admodum reipsa probabilis, de qua aliqui inducavi in Met. Conf. l. 4. c. 1. n. 6. quia tamen ea supponitur lucratum esse, vel lucraturum indulgentiam, id, quod certe communiter non caret aliqua incertitudine propter multas condiciones, quæ requiruntur ad indulgentias certo acquirendas: ideo in Praxi semper à Confessario iniungitur Penitentia in confessione, & à penitente adimplatur: ut nimirum certi firmus de adhibita satisfactione, & ita notat Bardi p. 1. r. 4. c. 1. sect. 3.

§. II. Quanam Communicatio operum hic concedatur.

1. Inter iustos constitutos in Ecclesia sub uno Capite Christo adesse communicationem operum, quam tenetur in Symbolo ibi (Sanctorum communicationem), de fide certum est sed in quonam ea consistit?

Sanè, non solum consistit in fluxu, quo Chritus Dominus, tanquam caput in sua membra gratia impertit